

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

II.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

cum animus meus erga vos is sit, & mansurus semper, qui fuit hactenus. Nam quod mones, ne fufurrionibus aut calumniis me à vobis abduci, aut de mea voluntate aliquid immutari patiar, illud mihi credas velim, me & natura instituroque meo animum ab omnibus fufurrionibus & calumniatoribus alienissimum gerere, & contra omnes rumusculos, suspiciones, obtreccationes, delationes, quæ impedire pios vestros conatus possent, ita me & mentem obfirmasse, & obturasse aures, nihil ut sit, quod *è meo* nostram turbare queat. Plura jam non scribam. Cætera enim quæ scribenda superessent, petere te volo ex superioribus proximis literis,isque binis, quarum alteras die 3. Januarii, alteras 17. ad te dedi, & has quidem cum strenis. Existimo autem, te jamdudum accepisse. Tabellarius enim certus fuit à Curia nostra Richevillam missus, nec tamen adhuc, quod ego sciam, ad nos reversus. Et est honestus civis Studgardianus. Itaque redditas tibi esse non dubito, licet fortassis ad aquarum eluviones seriùs, quàm speraveram. Bene ac feliciter in DOMINO vale, cum uxore, liberis & universa familia. Studgardie, 2. Februarii, A. 70.

Tuus totus ex animo frater

Wilh. Bidembach, D.

Philippo tuo, doctissimo juveni, meis verbis dicito: *πάτερ κττωρ.* de cujus Disputatione scribam ad te sententiam meam, cum perlegero. Hodie enim apud nos dies festus est, & ego ad concionem propero.



II.

S Cum pastor meus, Dominus Cancerinus, occupator esset, quam ut Domini parentis tui, Philippe ornatissime, literis posset respondere, mihi, ut id suo nomine facerem, injunxit. Quod igitur ad Hausmannum attinet, eum audivimus, & examinatum dignum reperimus, cui ministerium verbi in nostro oppido committeretur. Jussimus itaque eum, deportatis libris suis intra octiduum ad nos reverri, & officium, cui destinatus est, capessere. Cum autem non immerito de Reichenweilerana Ecclesia sollicitus sim, qualem sic post me habitura ministerium: reverenter, & Domini Cancerini nomine, Reverendum virum, Dominum patrem tuum oro, ut gravissimis verbis, pro ea, qua pollet, autoritate, Hausmannum officii admoneat, non in commisso tantum ministerii partibus, sed etiam in privata vita, & iis, quæ erga proximum sunt, actionibus. Peculiare Bavarorum vitium est, ut aliorum beneficiis sublevati se efferant, & non optimam gratiam referant. Et fuit multis Ecclesiis